

626. 35  
DISPUTATIO ETHICA,  
*de*  
**TEMPERANTIA,**

*Quam*

Astante invictissimâ Patris Potentiâ  
Adjuvante divinissimâ Filii Sapientiâ &  
Adspirante benignissimâ Spiritus Sancti clementiâ.

PRÆSIDE


*Clarissimo & Excellentissimo Viro*

**DN. M. CASPARO**  
**E BELIO,**  
IN ILLUSTRI AC CELEBERRIMA  
Academiâ Marpurgensi Logices ac Metaphysices  
Professore ordinario, Domino, Fautore, Pro-  
motore & Præceptore suo æternûm  
colendo.

*Exercitii gratiâ publicè pro viribus defendere conabitur.*

Addiem 18. Martii, loco horisq; consuetis.

**HENRICUS STAMM, ALSFEL.**  
DIA HASSUS.



MARPURGI HESSORUM,  
Typis SIMONIS ZACHMANNI, 1637.



\*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\* \*\$\*

Admodum Reverendis Clarissimis Doctissimisq;  
Viris,

Dn. WILHELMO de BRINC, Theologo solertissimo, Ecclesiæ Patriæ Pastori, & Superintendenti, ut vigilantissimo, ita quoq; dignissimo.

Dn. M. EBERHARDO HAPPELIO, apud Alsfeldenses Diacono Pastori in Leisel & Eutorf meritissimo & fidelissimo cognato suo omni honoris titulo prosequendo.

Dn. M. CHRISTOPHORO STUMPFIO, Pastor in Heuchlein vigilantissimo patruo suo nunquam non honorando.

Et Prudentissimo Speciosissimo,

Dn. HENRICO WICCIO, Consuli laudabilis Reipublicæ Alsfeldianæ dignissimo.

NEC NON TOTI ORDINI SENATORIO  
ex eōq; hisce in specie,

Dn. JUSTO REICHARDO,

Dn. GEORGIO STAMMIO, Patruis suis omni honoris genere prosequendis.

Dn. HENRICO STAMM, Architictino in Monast. Heinoviano.

Dn. PHILIPPO STAMM, Poligrapho Reipublicæ Alsfeldianæ, Fautori studiorumq; suorum promotori nunquam non honorando.

J U X T A E T

Præstantissimis Literatisq; ac Humanissimis Iurenibus;

Dn. M. HENRICO Kleinschmidt, SS. Th. studiosissimis, cognato,

Dn. M. HENRICO GREBERO, to, amicis suis dilectissimis.

Viris deniq; Honoratissimis.

Dn. Laurentzio Stumpfio, Patruo omni honoris cultu prosequendo.

Dn. Georgio Knöttel, Sororio suoplurimum dilecto.

Hoc auctoritate idoneo, devotè consecrando, submisso Transmittendo  
reverenter me commendo.

Henricus Stamm, Auth. &c R.





## Præloquium.

Mnium virtutum moralium, quæ dicuntur rationis expertes, nulla fuit, quæ primo statim intuitu, præ cæteris magis mihi arrisit, & delectatione suâ cor meum magis transfodit, quam prima illa omnium reliquarum moderatrix & directrix temperantia, cujus tot & tam utilis humanis actionibus partes & species, si omnes exactè inquisiverimus, quot æthere ferè sidera lument, subjiciuntur, quas etiam omnes accuratè recensere, si mihi centum linguae essent non possem. Primarias tamen, & quibus cæteræ quasi comprehensæ, tum ob brevitatem temporis, tum etiam ob exiguum chartæ spatiū, tum deniq; ob ingeñii mei tenuitatem disputando ita obiter perstringerelubet. Hæc enim est illa virtus, quam aurea mediocritas, instar pedissimæ consecatur, quâ mediante modus non solum, in vicu & amictu, verùm etiam in reliquis hominum sensibus objectis, aliisq; vitæ humanae convenienter appositis rebus observatur. Quamvis autem in omnibus ferè rebus generaliter ita loquendo, mediocritate ut causâ sociâ adjuvante, attendi possit, at tamen juxta, Arist. lib. 3. Eth. c. 10. non in omnibus sed aliquibus tantum animantium sensibus rectissimè & propriissimè locus ei assignatur, de quibus prolixiore cum bono Deo, in progressu disputandi, interpretatione uti agimus est. Sit igitur.

# THESES.

**T**Emperantiam cum *Arist. lib. 3. Eth. c. 10. ad Nicom.* definimus quod sit mediocritas circa tactus gustusq; voluptates, & dolores.

2. Hinc proprio & per se hoc loco excludi audimus tressensus, nimurum *Auditum*, *visum* & *odoratum*, qui tamen posterior cum distinctione admittitur *d.lib.3. Arist.c.10.*

3. Temperantiam insuper virtutem esse cum fortitudine, partium eorum quæ sunt rationis expertes dicimus. Hinc cum fortitudine etiam aliquam similitudinem eam habere fatemur, quod, quemadmodum fortitudo circa timorem & audaciam, præcipue verò circa pericula mortis versatur; ita & temperantia in sensuum voluptatibus & doloribus moderandis positâ est.

4. Etsi verò illa temperantia circa voluptates versetur, non tamen versatur circa quaslibet, ut ex ejus definitione patuit: Scendum enim est alias esse voluptates corporis, alias animæ. Animæ sunt honoris cupiditas, avidas disciplinæ &c, jam autem cum tam ambitosus, quam avidus disciplinæ, eo gaudet, cuius est avidus, corpus ejus nihil, sed mens tantum patitur, indeq; eos qui voluntatibus hujus cemodi alliciuntur, nec temperantes, nec intemperantes appellare consuevimus. Temperantiam igitur non circa animæ, sed circa corporis voluptates versari relinquitur.

5. Sed & porrò circa omnes corporis voluptates temperantiam versari absurdum est dicere. Qui namq; iis rebus gaudent, quæ visu percipiuntur utpote coloribus, figuris, picturâ, nec temperantes nec intemperantes dicuntur, his enim hominibus licet, ut decet, pro arbitrio gaudere.

6. Similimodo, neq; quirebus iis gaudent, quæ auditu percepuntur; nemo enim aut eos qui cantu, vel histrionis gaudent voce plus oportet, intemperantes, aut eos, qui ut oportet iisdem gaudent, temperantes appellat.

7. Nec etiam ii, qui circa odores gaudent, nisi per accidens  
tales appellantur, non enim eos, qui malorum, rosarum, aliorum mē-  
miliū, sed eos potius, qui epularum odoribus delectantur intem-  
perantes dicimus esse. Hi enim intemperantes ex eo gaudent, quia  
rērum earum, quas cupiunt, fit recordatio vel repra-

## 8. Quem-

8. Quemadmodum neq; cætera animalia voluptatem nisi per accidens, per hosce capiunt sensus. Neq; enim odore leporum, sed esu gaudent canes, odor autem sensum ferit, & sic consequenter de visu & auditu.

9. Circa voluptates igitur tales, temperantia intemperantiaq; versatur, quas quidem & cæteris animalibus cum hominibus communes esse statuimus, quæq; gustu tactuq; percipiuntur.

10. Huc usq; de voluptatibus circa quas, jam insuper operæ pretium erit, ut de divisione per partes aliquid utile moneamus.

11. Sunt autem partes temperantiaæ aliaæ integrantes & primariaæ, aliaæ subjectivæ, & tandem aliaæ potentiales.

12. Integrantes temperantiaæ partes statuuntur cum Connimbris bricensibus duæ Disput. Eth. 9. quest. 3. Verecundia & Honestas.

13. Verecundia de quâ Arist. lib. 4. Eth. c. 9. licet propriè virtus non sit, quia magis passiōni quâm habitui similis est, virtus tamen appellatur eâ significatiōne, quâ quicquid in humanis actib⁹, vel affectibus laudabile est, virtutem dicimus. Quæ hunc in modum definitur ab Arist. loco citato. Verecundia est metus quidam dedecoris infamiæq; quo nimirum ad id, quod turpe, & temperantiaæ contrarium est, fugiendum, inducimur.

14. Honestas verò est excellentia quadam honore digna, ob spiritualem pulchritudinem, qua quis id, quod turpe & indecorum repellit.

15. Partes temperantiaæ subjectivæ quatuor numerantur, Abstinentia, Sobrietas, Castitas & pudicitia. Quarum duæ priores in iis voluptatibus, quæ cibo ac potu capiuntur, mediocritatem constituunt. Posteriores verò duæ in iis quæ ad generationem pertinent. De quibus D. Thomas, in 2. 2. quest. 141. & seq.

16. Abstinentia igitur est virtus quæ in ciborum delectatione mediocritatem constituit.

17. Sobrietas est virtus, quæ in potus usu moderato consistit.

18. Castitas est virtus, quæ veneris concupiscentiam rationis moderamine cohibet. Estq; triplex virginalis, vidualis, & matrimonialis.

19. Pudicitia est virtus cohibens voluptates eas, quæ reperiuntur in venereorum signis, quales sunt impudici asperitus, oscula &c.

20. Potentiales autem partes temperantiaæ decem potissimum

Ethicis numerantur. **Continentia**, **Mansuetudo**, **Clementia**, **Modestia**, **Humilitas**, **Studiositas**, **Moderatio**, **Integritas**, **ornatus**, **simplicitas**;

21. **Continentia**, de quâ *Arist. lib. 7. Eth.* est per quam pravis ac vehementibus cupiditatibus, ad tactum spectantibus, aliquis resistit. Sic autem sumpta continentia non est perfecta virtus.

22. **Mansuetudo**, de quâ *Arist. lib. 4. Eth. c. 5.* est virtus quæ iram moderatur.

23. **Clementia** est virtus, quæ externis punitionibus modum adhibet. Cum hâc jungitur misericordia, quæ est virtus, quâ alienæ miseriæ, quantum possumus, subvenimus. Itaq; dissident clementia & misericordia, quod ad illam spectet, pñnarum subtractione, ad hanc beneficiorum collatione alicujus miseriæ subvenire.

24. **Modestia** est virtus, quæ circa mediocres honores moderandos versatur.

25. **Humilitas** est virtus, quæ hominis cupiditatem cohibet, ne in res magnas & excelsas immoderatè tendat, sed potius ad infinitas & conditioni sua congruas se dejiciat.

26. **Studiositas** est virtus, quæ sciendi cupiditatem temperat.

27. **Moderatio** quæ modestia etiam dicitur, est virtus, quæ corporis motùm gestumq; componit.

28. **Integritas** est virtus, quâ quis in ludis & jocis moderatè atq; ut decet sese habet.

29. **Ornatus** est virtus, quæ corporis habitum vestitumque moderatur.

30. Huic adjungitur simplicitas, quæ nimirum in hisce rebus inquirendis & concinnandis sollicitudini modum ponit. Ex quibus etiam jam patet, qui sint actus temperantie.

31. Cùm autem opposita juxta se posita, magis elucescant, convenienter etiam de extremis temperantie verbo saltem agemus.

32. Extrema igitur vel in ex cessu vel in defectu peccant.

33. In excessu, intemperantia, *ἀργαλεία*, quæ est vitium quæcitra delectum quævis voluptates in gustu & tactu positæ, nullâ habitu honestatis ratione immoderatè expetuntur.

34. In defectu stupiditas *ἀρρενοποιία* est vitium ita aspernandis omnibus etiam necessariis & honestis voluptatibus, positum.

*Laus tibi sit Patri, laus Nato, & Flaminio aure  
Laudis in eternum fit benedicta Trinitas.*

6020



Coronidis loco adjicimus sequentia,

1. Substantia non est in subjecto ut accidens.
2. Substantia nihil est contrarium, neque ipse inter se contrarie.
3. Substantia non habet extensionem ac remissionem.
4. An Dimidium plus toto ? A. C. D.
5. Frustra est potentia, si non traducitur in actum.
6. An aer sit vera substantia & subsistens corpus ? A.
7. An ebrietas delictum aliqua ratione excusae, vel magis aggravet ? D.
8. An licet pro alterius quicunq; sit salute bibere ? A.C.D.
9. An Chorea sint ferenda & concedenda ? D.
10. An vinum fuerit ante diluvium ? A.
11. Vtrum urbanitas & comitatus osculo salutare licet ad venientem tempuillam, vel alterius conjugem ? D.
12. An circumforanei illi medici & impostores ( quos vulgus Thoriack & Krämer oder Lantesbescheisser vocat ) in bene instituta Republica sint ferendi ? N.
13. An stratagematisbus vel insidiis in bello adversus hostem uti, juxta & fas sit ? A.
14. An Iudeis inter Christianos habitare permitti debeat, A.C.D.
15. An volenti possit fieri injuria ? N.
16. Virum Doctores militibus sint preferendi ? Dicam tibi.

*Ad Praestantissimum & Literatissimum,*

**DN. HENRICUM STAMM, PHILO-  
sophiae Studiosum industrium:**

**S**unt homines pravi, quos pagina saera potentes,  
Appellat cyathis madidam producere noctem.  
Qui sicut las gustare dapes, venerisq; malignaz

Munera

Munera seftantur. Res contemnenda Jehovæ?  
 Aurea sobrietas, cælo dignissima virtus  
 Virtus à placido referens moderamine nomen  
 Illa tibi soli placuit doctissime Amice  
 Nobilis & claræ virtutis & artis amator,  
 Id pulchrè ostendis dum celso è ponte cathedræ  
 Differis & contra luxum geris ardua bella  
 Pergito sic ventris venerisq; repellere alumnos  
 Sic tibi non tantum sophiæ perdocta corona  
 Verùm etiam vitæ dabitur pulcherrima merces.

*Paucula hec lmq; apponere voluit doctissimo Dn. Resp. in  
 amicitia perpetua notam.*

M. Johannes Tack, Wetzflariensis.

*A L I V D.*

NON estruncus iners, nec stirps de stipe amice,  
 Cœuratio impositi nominis esse jubet.  
 Tu flos pieridum merito de jure vocandus  
 Te decet Aonii nomina ferre chori.  
 Hæc labor, hæc studium pepererunt nomina, namq;  
 Hisce suos Gnatos Musa beare solet.  
 Non molligenio placuit tibi perdere tempus  
 Sed studio noctes ingenioq; dies.  
 Nec tibi vita placet turpis. testantur idipsum  
 Publicitùs vitâ de moderante theses.  
 Inde tibi ex oculis sapientia pulcra relucet  
 Dum pallent alii continuante gula.  
 Sic sic perge, Deus benedicet gnaviter ausis  
 Ut sis cognatis lausq; decusq; tuis.

*Suyyana ergò deproperabat, Lmq;*

*M. Henricus Kleinschmidt Alsfeldi Hassus.*

**F I N I S.**